



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

28.
32

EPITHALAMION,

SCRIPTVM IN SA-

CRVM NVPTIALE REVERENDI AC
DOCTISSIMI VIRI ET VITAE AC MO-
rum integritate maximè conspicui, D. IOANNIS
SCHVBAEI verbi divini ministri in Ecclesia Meldor-
piensi fidelis: amici ac fratris sui integerrimi Sponsi, Et pu-
diciſsimæ Virginis MARINAE Filiae pientissimi &
honestissimi viri PETRI HOLMERI
Civis Schlesvicensis,
Sponsæ.

~

VIRGILIO RHODFELDIO

Scholæ Slesvicensis Correctore.

27. Junij, Anno 1591.

ὁ χρυσός, ὁ τυραννίς, ὁ πλῆθος χλιδή
τοσούτου ἔχε διαφορὰς τὰς ἰσονάας,
ὡς ἀνδρὸς ἑδλεῖ καὶ γυναικὸς εὐσεβῆς
γνώμη δικαία, καὶ φρονῶσα τὰνδρικῶν.

SLESVVIGAE

EXCVDEBAT NICOLAVS
VVEGENER.



Haud confert homini sine conjuge ducere vitam,
Sed confert homini comparis igne frui,
Ipse DEus summus rerum dominator & autor,
Hæc prior leges, hæcæ statuta dedit.
Casta viro mulier sociali fœdere junctæ,
In pietate dies transigat ipsa suos.
Hinc protoplastum sopor altus pressit Adamum,
Eusq; de costa nobile crevit opus.
Vtq; sopor cessit, simul vtq; reclusit ocellos,
Ante suum mulier constitit Eva virum.
Ergo suæ vitæ consortem agnoscit & inquit,
An non hæc carnis portio grata meæ?
Hæc ex osse meo certè fabricata virago est,
Huic uni castus noster inhæret amor.
Deseret uxori vir junctus amore parentes,
Sic diversa sacer corpora junget Hymen.
His actis opifex dixisse potentia verba
Fertur, & his sanctas applicuisse manus:
Crescite nam sobolis res est generatio pulcra,
Vt seges è viridi semine prodit humo.
Subjicio imperio vestro genus omne volucrum,
Quadrupedes, nec non quæ maria alta tenent.
Optima pax adsit, Concordia dulcis, amorq;
Custus, & his socio pectore junctæ fides.
Hinc est ille calor, conjunctio firma duorum,
Qua nihil eximius maximus orbis habet.
Ista DEI fuerat post mundi exordia cura,
Pangeret vt thalami fœdera sacra noui.
Nec pepigit tantum, sed adhuc conservat, & illa
Seruari vera cum pietate jubet.
Ergo quæ toties Musæ cecinistis amores,
Quæ sunt junctæ pari fœdere corda duo.
Vos mihi nunc certas, præsentî numine, causas
Dicite, cur thalamos sanxerit ipse DEus.

Dic

Dic Erato; fas est mirari munera Divum,
 Et celebrare, DEus quod jubet autor, opus.
 Esse duos vult casta colant qui fœdera lectis
 Vincula dirumpi nec sinit ipsa DEus.
 Dulcis ut unanimes hæc cœtus reddat imago,
 A duce qui Christo nomen & omen habent,
 Non sit ut inde mali tantum secura voluptas,
 Vitaq; jucundo tempore possit agi.
 Sed sua posteritas venturos duret in annos
 Conjugij sobolem lege creare decet.
 Vt, dum continua generantur secula prole,
 Succeditq; patri natus, avoq; nepos;
 Nunquam deficiat cultrix Ecclesia Christi
 Sed reverenter amet sera propago DEum.
 Vult natura opifex sacrato fœdere binos
 Iungi conjugij, sic statuente DEo.
 Alter ut alterius possit tolerare labores,
 Auxiliatrices præbeat atq; manus.
 Solus enim degens, malè fert incommoda vita,
 Impatenter onus sustinet impositum;
 Si solus tantam molem cumulumaq; laborum
 Suffert; si socia non recreatur ope.
 Quod duo concordés faciunt fœlicius exit,
 Qui gravis est uni, fit labor hisce levis.
 Vnde etiam Salomon pronunciat esse beatum
 Quisquis consortem gaudet habere tori.
 Hæc sunt magna quidem, sed adhuc mihi magna supersunt,
 Obruit ingenium copia penè meum:
 Primus amicitia gradus est amor ipse jugalis,
 Mens eadem fiunt corpora juncta duo.
 Cuncta quibus semper communia, tristia, lata,
 Vtriq; augentur res, minuuntur item.
 Curarum hæc socium, sociam tenet ille laborum,
 Amborum tergo sarcina parq; sedet.

Fortunate nimis, cui contigit uxor honesta,
Quæ pietate sibi nil prius esse putat.
Illa viro cordi est, illi post omnia ponit,
Credat ei vitam, credit opesq; suas.
Deniq; se castum vult regna per omnia Mundi
Sciri, se casto postulat ore coli.
Ergo conjugium sanxit, quo fœdus in unum
Conveniunt sancto fœmina virq; toro.
Huic veluti sepem leges DEus addit honestas,
Crimina quæ impuræ mentis habere vetant.
Quod si naturam non damna secuta fuissent,
Fine forent alio fœdera culta tori.
Tunc sobolis tantum generandæ cura fuisset,
Dedita gens vero cresceret unde DEo.
At nunc conjugij pariter restringimus usu
Illicitas, animum quæ subiere, faces.
Vt castæ Dominum mentis pietate colamus.
Fundentes summo vota pudica patri.
Nam velut est mens casta DEus, sic casta requirit
Quæ flagrant motu concita corda pio.
Vtq; probat castos ignes, Veneremq; pudicam,
Sic quoq; concubitus improbat ille vagos.
Intenditq; graves minitanti fulmine pœnas,
Has licet in tempus differat ille suum.
Sic DEus evertit mundum pluvialibus undis,
Crevit, ubi tetris fœda libido modis.
Cum per spumiferas undas camposq; natantes,
Servatus faceret puppe Noachus iter.
Filius ipse DEi Sodomas crepitante cremavit
Flamma; his interitus turpis, origo, Venus.
Benjaminisq; tribus violatum morte pudorem
Ipsa luit, bello sic Sibimita cadit;
Ob Venerem illicitam pravæq; libidinis æstum
Impia qui cœco corda furore rapit.

Notum

Notum est quas pœnas dederit Iessæ propago,
Dum violat servi fœdera casta sui:
Pellitur ex regno rex, gnatus in arce Davidis
Luxuriat, patrias contemnatq; toros.
Haud impune tamen; pendens in robore corpus
Crinibus effusus, perfodit ense Ioab.
Est concussa gravi fato Trojana potestas,
Ob tua facta truci capte furore Paris.
Plura quidem de re nunc hæc exempla referrem,
Longius hæc justo ni memorare foret.
Sic infelicem quærit Venus improba finem,
Sic venit ad metam fœda libido suam.
Quilibet ergo pius Veneris mala spicula diræ
Effugiat, licitum conjugiumq; colat.
Syrenum voces, fallacia pocula Cyrcis
Vitet, quæ stygiæ semina mortis habent.
Sparsit in ipsa notas sapiens animalia rerum
Conditor, unde tibi casta probare licet.
Diligit Halcyone castum Cæyca maritum,
Et socios ignes casta tuetur avis.
Si mas per senium titubantes sustinet artus,
Fert humeris illum, præbet & ore cibum.
Horum jam fragilem cum vitam perdidit alter,
Altera mox sociam gaudet obire necem.
Turtur & haud alium socio sibi fœdere jungit,
Quamvis hunc viduum mors facit esse ferox.
Hos crebro partu fœcundos esse videmus,
Conjugijq; fidem non violare sui.
Mos pius est aquilæ, dubiam quæ callida prolem
Titanos radijs opposuisse solet.
Sanguine quamq; suo videt & de viscere natam
Illam conservat degeneremq; necat.
Quod sit adulterij rea si qua Ciconia, rostris
Hanc aliæ (castas res probat illa) necant.

A 3

Quam

Quàm pietatis amans, quàm casta Ciconia, quàmq;
Horrendum fugiat crimen adulterij.
Hoc exempla docent annalibus eruta priscis,
Ex quibus hoc saltem jam mea Musa canat:
Duxerat ingenuis clarisq; parentibus ortum
Alcinoe, stirpis non memor illa suæ.
Hæc equidem Cranone fuit pulcherrima matrum,
Phœbeo longè pulcra nitore micans.
Talis erat fulvo quam lusit Iupiter auro,
Talis erat Paridi rapta Lacena suo.
Illius à patrijs cum vir discesserat oris,
Adq; Lares subito non rediturus erat.
Vritur, inq; viri famulum convertit amorem:
Datq; voluptatis signa petulca suæ.
Spectat in exhausto juveniles lumine vultus,
Nec spectasse satis, vult & amore frui.
Incipit ergo illi tacitum concedere vulnus,
Concubitusq; ejus sollicitare vagos.
Incipit & spreto, thalamum temerare marito,
Et Cypride baud licita fœdus inire novum.
Hæc subsensit avis nocuis invisâ colubris,
Quæ non impune hoc fuit abire nefas.
Hortus jucundas præbens stertentibus umbras
In domibus miræ fertilitatis erat.
Picta illic juvenis premeret cum gramina lassus,
Et dulci somno membra levanda daret.
Haud mora jam leviter per inane Ciconia vecta
Irruit, & mæcho lumen utrumq; rapit.
Quòd non abnuerat fines transire pudoris,
Illecebras spernans luxuriantis heræ.
Fugerat hic famulus metuendi tela mariti,
Sed non judicium fugerat ipse DEi.
Hæc simulacra, DEo, castis animantibus insunt,
Auspice, quæ casto vivere more monent.

Nam

Nam si bruta cavent incestis ignibus uri,
Huic homines vicio turpe vacare liquet.
Quis DEus os sublime dedit cœlumq; tueri,
Iussit et effigiem mentis habere suæ.
Ergo quisquis acres in pectore percipit æstus,
Frenari nulla qui ratione queunt.
Connubio sponsam stabili sibi jungat honestam,
Et socij pangat fœdera casta tori.
Sic bene frenabit viciati pectoris æstus,
Sic licito castum pectus amore teret.
Sicq; suo sacrum nunquam de pectore flatum
Excutiet, nec eum lubricus error aget.
Sponsus amore sui gaudet gregis ipse vocari,
Hoc ornans socium, Christus, honore torum.
Omnia nam veluti sponsæ fœlicia Sponsus
Optat, et huic animam dividuam esse cupit.
Sic Christus, cujus misera est Ecclesia Sponsa,
Nos amat; hoc meriti conditione probat.
Quod generis nostri massam, sine crimine massam
Sumserit, at reliqua sorte modoq; parem,
Ut quod primo homini fuit ob peccata luendum,
Dum dat in æternam seq; suosq; necem;
Illud is haud meritis lueret salvator, et inde
Deleret letho jus necis omne suo.
Est ex osse parens ceu prima creata mariti,
Hac re participans mutua membra sui.
Nascimur ex ipso sic nos Ecclesia Christo,
Huic inserta fide massa beante sumus.
Quo servante nisi, nil corpora nostra valerent,
Ex illo hæc tantum membra vigoris habent.
Quo sine non possent firmas defendere vires,
Et regere unanimi corpus amore suum.
Pro sponsa veluti sponsus, pro conjugē conjunx
Pugnat, et assiduo Marte, manuq; tegit.

Sic,

Sic, qui nomen habet Sponsi venerabile, Christus
Nos tegit, & prohibet, quæ nocuisse queunt.
Ad Sponsi veniens convivium pauperis idem,
Monstrat jura tori casta placere sibi.
Hinc cum deficerent inopem jam vina maritum,
In vinum tenues nobile mutat aquas.
Nam præses Thalami non est sine munere Christus,
Ille merum tardè, dat tamen ille merum.
Hoc duce conjugij dulcem quia carpimus usum,
Atq; opus hoc gratum novimus esse Deo.
Hunc ego conceptis ardenti pectore votis,
Ut decus hoc toto servet in orbe, precor.
Cordibus is castos nostris accendat amores,
Illicito prohibens igne fovere faces.
Ærumnasq; levet, clarum inter nubila solem
Det, nec perpetuis imbribus ora riget.
Hic Schubæ novos tibi sponse secundet honores.
Quo duce triste nihil, quo sine dulce nihil.
Ex ipso veniat tibi lætæ gratia vitæ,
Verba nec infestent litigiosa domum.
Augeat ille tuum felici pignore lectum,
Per quæ fit major connubialis amor.
Atq; sinat Pylios vitam producere in annos,
Vivendo faciat vincere Mathusalem.
Et sene vir quamvis senior sis Nestore factus,
Heu sic plures sponsa feratq; dies:
Non tamen esse senex videaris, sponse, maritæ,
Nec Sponsam sponsus censeat esse senem.
Omnia quæ facitis bene felix prosperet aura,
Fonteq; ceu pleno sors bona fundat opes.
Hæc bona det supera, melioraq; Christus ab arce,
Ut grates illi fœmina virq; canant.

F I N I S.

№ 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 /

V B 17

M





28.
32

EPITHALAMION,
SCRIPTVM IN SACRVM NVP TIALE REVERENDI AC DOCTISSIMI VIRI ET VITAE AC MORUM integritate maximè conspicui, D. IOANNIS SCHVBAE I verbi divini ministri in Ecclesia Meldorpiensi fidelis: amici ac fratris sui integerrimi Sponsi, Et pudicissimæ Virginis MARINAE Filiae pientissimi & honestissimi viri PETRI HOLMERI Civis Schlesvicensis, Sponsæ.

VIRGILIO RHODFELDIO Scholæ Slesvicensis Correctore. 27. Junij, Anno 1591.

ὁ χρυσός, ὁ τυραννίς, ὁ πλῆθος χλιδῆ
τοσούτου ἔχε διαφορὰς τὰς ἰσονίας,
ὡς ἀνδρὸς ἰδιλῆ καὶ γυναικὸς εὐσεβῆς
γνώμη δικαία, καὶ φρονῶσα τὰνδ' ἰκαί.

SLESVVIGAE
EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.

